

reuelationem. Unde patet quia imminente passione hanc scripsit epistolam, cum multo ante iacobus migrauerit ad dominum. Neque uero epistolas eius conueniebat ab inuicem separari, quas hisdem scripsit ecclesiis. Porro iohannes multo post tempore suas epistolas simul et euangelium scripsit, quando post occisionem domiciani reuersus de exilio turbatam se absente per hereticos repperit ecclesiam, quos in suis epistolis percutiens sepe cognominat antichristos. **Explicit Prologus.** Ipsam porro etiam Expositionem e Codice perfici posse, vel *Versus I. Jacobi* argumento fit; ubi enim Edita habent: *ne infructuosi, sive etiam damnabiles ab iis, qui fidei sacramenta percepissent, reddantur*, multo rectius Noster: *ne infructuosum sibi, immo etiam damnabile, quod fidei sacramenta percepissent, (reddatur) reddantur.* Sermo nempe est de Christianis male viventibus. Et mox, ubi in Editis: *ultio coelestis — percellat*, Codex addit: *irruens.* Abrumpitur autem, quod dolendum, ad *I. Job. c. 2. v. 13.* in his verbis: *et etas senectutis uita immaculata.*

CCXVIII.

U. 162 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 164. f. per duas columnas nitide scriptus et rubricis distinctus exhibet: I. Expositionem ἀπερρυγαφον in D. *Johannis Apocalypsin*, cujus Prologus infit: *Legimus in ecclesiastica hystoria beatum Johannem &c.* Unde proditur *Haymo Ep. Halberstad.* Sec.

IX. Scriptor, cujus nomen etiam alia manus ad calcem signavit; ita enim finit: *et in gratia terminum poneret. Explicit Glosa Amen. Haymon super apocalipsim.* Saepius a me relatum, typisque excusum Opus.

II. fol. 124. absque inscriptione subit Institutio moralis de usu et administratione VII. Sacramentorum, sic quidem ordiens: *In tractatu de penitentia. que unum est sacramentum. de alijs tribus diximus sacramentis videlicet de baptismo ordine et eucharistia. Restant adhuc alia tria. videlicet matrimonium confirmatio extrema unctio &c.* Vide ὁ ἕγωγος ἡγορεῖτο; fol. enim 129. pertractato *Matrimonio* primum sequitur: *Sunt autem VII. sacramenta in ecclesia dei Baptismus eucharistia &c.* Sed ne id quidem verum Libelli principium esse videtur. Transpositionis hujus causam juxta et autorem ignoro. Nam non est *Thomas Aquin.* Ad calcem legitur: *Anno domini millesimo CCCLXXXVI^o. in die sancti symonis et iude &c. gratias ago Domino Deo omnipotenti Amen.* Tum *Registrum*, quod partium μετὰ θεον exacte sequitur.

CCXIX.

R. 57 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 120. f. luculento caractere exaratus, rubricis distinctus, et, ut p. 1. notatur, olim *Monachorum Congregationis S. Justine de padua deputatus Monasterio S. Seuerini de Neapoli*, litera unciali inscribitur: *Incipit Expositi-*